



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomus ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam
interpretis donatus

Peregrinus terræ. Fasciculus Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super
Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Peccatum Veniale contrarium legi Dei

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49469)

*Peccatum veniale, contrarium
Legi Dei.*

Peccatum veniale non tantum est præter legem Dei, sed etiam contra legem Dei. Quia lex Dei, cum seipsa sit iusta & sancta, omnem culpam, omne peccatum & graue & leue prohibet: ergo non solum peccatum mortale, sed etiam veniale est contra legem Dei. Quamuis non desint Authores, qui negent hunc modum loquendi, asserantque peccatum veniale non esse contra legem Dei, si sermo est de lege charitatis, contra quam non est peccatum veniale, quia non tollit charitatem; concedant verò prædictum modum loquendi, sermo est de lege Dei vniuersali, in quo sensu & nomine loquimur.

*Peccatum veniale habet reatum
pœnæ.*

Peccatum veniale præter culpam continet etiam reatum, qui est dignitas & obligatio pœnæ, non quædam æternæ, ut est in peccato mortali; sed temporariæ, aut in hac vita, aut in Purgatorio expiandæ. Cuiusmodi veniali peccato, tamen minimo, Diuina iustitia pœnam constituit: & quamuis quilibet peccator ipsa considerata videatur exigua: simul tamen iunctæ & vnitæ ingentem efficiunt cumulum: Si contempnis, appendis, expauesce, cum numeras: si parui pendis pœnam peccati venialis, quando eam solam per seipsum consideras: time & treme in consideratione eius cum aliis simul vnitæ. Enimvero coniectæ pœnæ peccatorum venialium totâ vitâ commissorum immensæ quasi conficiunt massam pœnarum: eoque attingere possunt, ut superent pœnam alicui mortali peccato debitam. Tantum possunt multiplicari pœnæ venialium, ut simul sumptæ superent pœnam vnius mortalis. Non est sermo de pœna damni; sed solum de pœna sensus: nam si vnum peccatum mortale promerebitur